

naturalibus, quia videmus, quod anima sensitiva in bruto est sui gratia et non subicitur alicui alteri ^{a)} anime ulteriori ^{a)} nec ad ipsam ordinatur; anima autem sensitiva in homine non est sui gratia, set propter animam intellectivam, et ^{b)} anima intellectiva ^{b)} sibi principatur et dominatur, et tamen anima sensitiva nobiliori modo est in homine quam in bruto, quia ibi attingit suum superius; et ita principatus temporalis si ponatur ^{c)} sui gratia est ad modum anime sensitive in bruto, si vero subordinetur principatui spirituali, est ad modum anime sensitive in homine. Secundo declaratur in moralibus, quia virtutes politice alio modo fuerunt in principibus infidelibus, quia sui gratia fuerunt et non regulate per aliquas virtutes superiores; set ^{d)} in principibus ^{e)} fidelibus sunt subordinate et subiecte virtutibus theologicis, et tamen non est dicendum, quod virtutes politice nobiliori modo fuerunt in principibus infidelibus vel apud paganos quam apud fideles, ymmo econverso quia hic ^{f)} attingunt suum superius et non ibi et ita in proposito. Tertio declaratur in ^{g)} virtutibus intellectualibus, quia aliter fuerunt scientie naturales in philosophis et aliter in doctoribus sanctis et theologis, quia ^{h)} in illis fuerunt sui gratia et non ordinate ad aliquam ⁱ⁾ ulteriorem disciplinam nec regulate ^{k)} per ipsam. In theologis autem iste scientie dicuntur ancillari theologie et ei subordinantur secundum beatum Gregorium et per ipsam ^{l)} regulantur, et tamen non est ex hoc dicendum, quod iste scientie nobiliori modo sint in puris ^{m)} artistis quam in theologis, quia contrarium experimur, et ita est ⁿ⁾ in proposito de principatu temporalium absoluto et subordinato. Quarto declaratur in supranaturalibus ^{o)}, quia natura humana aliter est in supposito verbi et aliter in suppositis ceterorum hominum, quia in suppositis nostris ^{p)} est sui gratia. In quolibet enim supposito hominis omnia attingentia ordinantur ad naturam humanam sicut ad finem et ^{q)} ipsa substantia non ordinatur ad aliquam ulteriorem naturam sicut ad finem ^{q)}. In Christo autem domino natura humana non est sui gratia, set propter aliam naturam in eodem supposito, cui est subiecta et subordinata. Et tamen non est credendum, quod natura humana in nostro supposito sit nobiliori modo quam in supposito Christi, sicut natura humana in Christo est nobiliori modo, quia na-

a) *statt* alteri — ult.: ulteriori anime P 1. b) *statt* et — int.: que P 1.
c) ponitur P 2. d) et P 2. e) *fehlt* P 2. f) *fehlt* P 2. g) de P 1.
h) qui P 2. i) aliquem P 1. k) recte P 1. l) ipsum P 2.
m) primis P 1. n) *fehlt* P 2. o) supern. P 2. p) *fehlt* P 2.
q) *fehlt* P 1.